

VIRO ILLUSTR

D: BERNHARDO JUSSIEU,

PROFESSORI BOTANICO, MEMBR. AC: REG: PARISIENSIS, ETC.,

S. P. D.

CAROLUS LINNÆUS.

CIRCA initium hujus anni cum Genera\* mea transmitterem simul ad te V: Ill: literas dedi, quas D: Marselic, mercator Amstelodamensis transmittere curabat. Altera vice† et ad te literas dedi, cum Floram lapponicam‡ transferri curabam per vestrum Narille, medicum Amstelodamensem; Nolui meis literis Generosissimum vestrum fratrem amplius molestus esse, postquam audiveram quanta praxi medico quotidie distrahebatur; Tibi innotescere V: Illustr: ab eo tempore quo D. Dillenii per aliquod tempus Oxoniis uti licuit favore,§ qui profundæ eruditionis tuæ justus erat præco, semper flagravi. Interim ego adhuc nullas tuas lætus aperui literas quas mihi exoptaverim præ aliorum omnium. Has quas exaro literas in Tuas proprias manus eo certius deventuras spero, quo eas cum noto et familiari Amico mittam, quem Tuæ curæ commendatum habeo. Est vir juvenis qui plantas maximopere amat, licet methodicus non sit, collector tamen industrius. Incipiunt jam etiam Russi flores amare, quos a seculis respuerunt.

Criticam|| meam mitto, sed stylo barbaro conscriptam, rudi et incompto . . . . coactus fere eam edere debui, licet omne tempus mihi negabatur, quem totum occupavit Hortus Cliffortianus, circa finem anni proditurus.

pius, circuli terrestris arcum, missi, hinc duce cel. LaCondamine in Peruviam (anno 1735), inde in Lapponiam (vere anni sequentis) duce cel. Maupertuis, quos posteriores hic innuit A. de Jussieu.

\* *Genera Plantarum eorumque Characteres Naturales secundum Numerum, Figuram, Situm et Proportionem omnium Fructificationis Partium.* Lugduni Batavorum. 1737.

† Desunt hæ duæ, quas Linnæus se misisse nunciat et Bernardus accepisse respondet, epistolæ.

‡ *Flora Lapponica, exhibens Plantas per Lapponiam crescentes, secundum Systema Sexuale, collectas in Itinere Anno 1732 instituto.* Amstelædami. 1737.

§ "In 1736 Linnæus went over to England. . . . The learned botanist Dillenius was at first haughty, conceiving Linnæus's *Genera* (which he had got half printed from Holland) to be written against him; but he afterwards detained him a month, without leaving Linnæus an hour to himself the whole day long, and at last took leave of him with tears in his eyes, after having given him the choice of living with him till his death, as the salary of the professorship was sufficient for them both." (From Linnæus's Diary.)

|| *Critica Botanica, in qua Nomina Plantarum generica, specifica et variantia examini subjiciuntur, selectiora confirmantur, indigna rejiciuntur, simulque Doctrina circa Denominationem Plantarum traditur. Seu Fundamentorum Botanicorum Pars IV.* Lugduni Batavorum. 1737.